

**De hypertrophia cordis : dissertatio inauguralis medica ... / auctor
Josephus Glaser.**

Contributors

Glaser, Joseph.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Fratrum Schlesinger, 1844.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/n4j6krj4>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
HYPERTROPHIA CORDIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILIELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VI. M. APRILIS A. MDCCCXLIV.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

JOSEPHUS GLASER

BORUSSUS-ORIENTALIS.

PARTES ADVERSARIORUM SUSCEPERE:


C. ERDMANN, philosoph. Cand.

M. KEUFFER, theol. Cand.

H. KIND, med. Stud.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.





Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b22476854>

AVUNCULO

C A R I S S I M O

J. JASTRZEMSKI,

CONSILIARIO IN REBUS AD COMMERCIIUM PERTINENTIBUS,

V I R O

OPTIMO, HUMANISSIMO

NEC NON

MATRI

C A R I S S I M A E

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Veteribus, etiamsi morborum cordis non prorsus ignaris, tamen manca admodum erat eorum cognitio; recentissimi vero medici quum diagnosin, tum curam morborum cordis, imprimis hypertrophiae multo perfectiorem reddiderunt. Quam ad rem consequendam maxime valuit inventum illud Laennecii, quo factum est, ut non solum omnino hypertrophia, sed etiam ejus complicationes facillime cognoscerentur. Neque negare possumus anatomicos pathologicos de illa ipsa re, declaratis cordis post mortem mutationibus, optime esse meritos.

Medicorum, qui de hypertrophia cordis disseruere, praestantissimi sunt:

M. Senac. *Traité de la structure du coeur, de son action et de ses maladies.* Paris 1749.

Corvisart. *Sur les maladies et les lésions organiques du coeur et de gros vaisseaux; Extrait des leçons cliniques de J. N. Corvisart, publié sous ses yeux par C. E. Horeau, Docteur etc.* Paris 1806.

A. Burns. Von einigen der wichtigsten und häufigsten Herzkrankheiten, aus dem Englischen. Lemgo 1813.

Anton Joseph Testa, Professor in Bologna. Ueber die Krankheiten des Herzens, ein Auszug aus dem Italienischen, mit Anmerkungen von Kurt Sprengel. Halle 1813.

F. L. Kreysig. Die Krankheiten des Herzens systematisch bearbeitet und durch eigene Beobachtungen erläutert. Berlin 1817.

James Hope. Von den Krankheiten des Herzens und der grossen Gefässe. Uebersetzung aus dem Englischen, mit einem Vorwort, Anmerkungen und Zusätzen, herausgegeben von Dr. F. W. Becker. Berlin 1833.

Laennec. Traité de l'auscultation mediate et des maladies de poumons et du coeur, quatrième édition, considérablement augmenté par Andral. Paris 1837.

P. A. Piorry. Diagnostik und Semiotik, mit vorzüglicher Berücksichtigung der neuesten mechanisch-nosologischen Hilfsmittel, aus dem Französischen übersetzt und mit Anmerkungen begleitet v. Dr. G. Krupp. Leipzig und Cassel 1837.

Philipp. Erkenntniss und Behandlung der Lungen- und Herzkrankheiten. 2te Aufl. Berlin 1838.

Charles J. B. Williams. Vorlesungen über die Krankhei-
heiten der Brust. Deutsch bearbeitet unter Redaction des
Dr. F. J. Behrend. Leipzig 1841.

J. Bouillaud. Traité clinique des maladies du coeur etc.
2. Edit. Paris 1841.

NOMINA ET GENERA MORBI.

Nomina morbi haecce sunt:

Aneurysma activum (Corvisart),
Hypersarcosis cordis,
Hypercardiotrophia (Piorry),
Cor bovillum (H. aller vier Herzhöhlen),
Hypertrophia cordis.

Neglecta medicorum pristinorum hypertrophiae divisione, rationem anatomicam secuti, tria morbi nostri habemus genera: primum quidem, quo substantia cordis musculari aucta ejus cava normam non excedunt; secundum, quo cava dilatata; tertium, quo angustata sunt. Auctores nonnulli etiam illam morbi cordis formam, qua, justo tenuioribus cordis parietibus cavisque dilatatis, magnitudo cordis justa superatur, hypertrophiam esse voluerunt; id quod nobis hypertrophiae notionem corrumpere videtur: quum illam modo telarum commutationem pathologicam, qua partes organi cujusdam peculiare haud aliter augmentur, ac in corpore sano fit, neque microscopio structurae differentia inveniri potest, hypertrophiam vocemus.

SECTIONES CADAVERUM.

Laennec primus magnitudinem cordis cum magnitudine aliarum corporis partium comparavit atque hoc modo invenit, cor hominis sani aequiparare fere ejus pugnum. Postea Bouillaud, Sanson, prae ceteris vero Bizot (1) de hac ipsa re disquisitiones quam accuratissimas instituerunt, quibus probatum est, magnitudinem cordis variam esse in singulis hominibus, neque minus in singulis aetatibus, ita ut in senectute ceteris partibus comparatis maxima sit; cor in adolescentia magis crescere quam postea; in omnibus vitae periodis sinistrum ventriculum dextrum superare quaque dimensione; substantiam muscularem ventriculi sinistri illa dextri tribus aut quatuor partibus esse validiorem, corque integrum ponderis esse $\xi vjj - \xi vjjj$. His ducibus facillime comparatione adhibita distingues, num cor sit hypertrophicum, necne.

Primarium omnis hypertrophiae cordis signum est substantia ejus muscularis aucta, quae et majoris circumferentiae ponderisque gravioris est causa. Nec vero semper totum cor reperitur hypertrophicum, sed saepissime unum alterumve cavum morbo nostro est occupatum. Quare haud ineptum videtur, de singulis singulariter disserere.

Hypertrophiae cavorum cordis omnium satis raro observatae signa anatomica haec sunt: volumen ter aut quater justo est majus, formaque sphaeram aemulatur, unde

(1) Recherches sur le coeur et le syst. artér. chez l'homme in Mémoires de la société médic. d'observ. T. I. p. 226.

efficatur, ut cor magnam cavi pleurae sinistrae partem expleat, pulmo sinister usque ad costae quartae marginem tollatur, praecordia propellantur, situsque illi sit transversus. Raro pericardium cum cordis parietibus est concretum.

Frequentissima est hypertrophia utriusque ventriculi atque inter medicos discrepat, num ventriculus sinister, an dexter saepius morbo nostro mutetur. Nobis vero ventriculus sinister magis morbo inclinari videtur, quippe qui spissiore musculorum strato sit praeditus, majoremque suscipiat laborem in sanguine propulsando.

Ventriculo sinistro hypertrophico forma totius cordis sic mutatur, ut ovum simulet, quoniam ventriculus dexter relaxatus dependet. Musculi prope basin cordis valde, in apice paululum sunt spissati; eo quidem modo, ut medio in ventriculo, ubi columnae carnae oriuntur, maxima formetur densitas.

Neque vero in quavis ventriculi parte substantia muscularis aequo modo est aucta, sed in altera magis quam in altera. Quod attinet ad situm in hac hypertrophiae forma, pars aegrotata columnam vertebrarum spectat, arteria pulmonalis autem dextraque cordis auricula in marginem sterni sinistrum vergit.

Aliter mutatus est ventriculus dexter hypertrophicus. Accumulatio enim fibrarum muscularium ubique est eadem crassitudine, nec apex a mutatione pathologica liber. Huc accedit, quod fere semper dilatatio ventriculi adest. Interdum etiam septum cavorum cordis, praecipue ventriculorum in hypertrophiam incidit, unde fit ut in ventriculum dextrum prominens eum paene compleat. Nasse hy-

hypertrophiam ventriculorum fere semper cum hypertrophia atriorum conjunctam esse dicit; id quod Hope negat, quippe cui status ille solis etiam in atriis venerit in conspectum. Quod si accidit, musculi pectinati aucti prae ceteris auriculam cordis dextram occupant.

Restat denique, ut de colore musculorum aegrotorum, eorumque firmitate ac structura verba faciamus. Haud raro fit, ut musculi cordis hypertrophia depravati majorem in secundo praebeant resistantiam, quam integri, sintque colore intensiore; quod quidem etiam desideratur. Si structuram spectaveris, ne microscopio quidem inter musculos integros et aegrotos discrimen animadvertes. Praeter has, quas attulimus, immutationes aliae quoque in hominibus hypertrophia cordis defunctis occurrunt, quae in unoquoque illius morbi exitu et complicatione positae sunt, veluti vitia valvularum, ruptura aortae, haemorrhagia cerebri, infiltrationses serosae pericardii, thoracis, telae cellulosae subcutaneae, aliaeque, quas enumerare longum est.

SYMPTOMATA MORBI.

Placet nobis signa morbi, quae ad locum affectum maxime pertineant, ceteris praemittere.

Primum animadvertitur energia cordis aucta, qua non solum thorax, sed nonnunquam etiam totum aegroti corpus conquassatur. Praecordia valde propulsa una cum systole elevantur, cum diastole excavantur. Manu praeterea imposita extensum cordis ictum illumque senties susurrum, cui

nomen frémissement cataire (Katzenschnurren) Laennec induit.

Jam si quis stethoscopium adhibet, non solum hoc, sed quando cum hypertrophia dilatatio est conjuncta, etiam caput auscultantis tollitur et tunc delabitur, quod Hope nomine back-stroke ornavit. Valvulis integris soni cordis sunt aucti, depravatis autem audiuntur pseudostrepitus, quos quidem Chomel in hypertrophia quoque simplici observatos sectionibus demonstravit. Thorax in regione cardiaca percussus per spatium bis terve majus, ac si cor esset sanum, raucum reddit sonitum. Atque hoc signum percussorium ad diagnosis hypertrophiae adjuvandam maximi est momenti. Quod quidem attinet ad hypertrophiam cordis dextri aut sinistri distinguendam, magis eo signa functionum laesarum, quam percussoria aut auscultatoria pertinent, nisi forte valvularum vitia non desiderantur. Attamen his solis adjumentis nunquam diagnosis perficitur; nam ut eo perveniamus, signorum quoque, quae ex laesis aliorum organorum functionibus orientur, rationem habeamus necesse est.

Inter haec palpitationes notatu sunt dignissimae, quippe quibus aegroti aut nulla ansa data, aut susceptis corporis laboribus (cursu, ascensu in scalas), animove perturbato vexentur. Paroxysmi illi spontanei fere semper nocturno tempore invadunt miseros, vehementius in hypertrophia cum dilatatione quam in simplici, quae haud raro ab iis prorsus est libera.

Cum hac cordis intensiore actione dyspnoea est conjuncta, quod arctissima inter cor et pulmones conjunctione facillime est explicatu. Atque haec dyspnoea, quamvis, si-

cuti palpitationes, iisdem provocetur rebus excitantibus, majorque sit in hypertrophia cordis dextri quam sinistri, tamen apud homines ex simplici morbi nostri forma laborantes desideratur, quam ad rem primus Hope advertit animum, quem secutus est Romberg, qui hominem per nonnullos jam annos corde hypertrophico aegrotantem, et nulladum ne in ascendendis quidem altis montibus, dyspnoea cruciatum suscepit curandum.

Dyspnoeae paroxysmus haud raro rumpitur tussi initio sicca, postea mucum trahente et cruore tincta; interdum etiam haemoptoe vehemens oritur, quae signa quoque magis ad depravatum cor dextrum quam sinistrum pertinent.

Pulsus hoc in morbo fallacissimum est signum, nihilque valet ad diagnosin illustrandam. Attamen non possumus, quin de signo hypertrophiae ventriculi dextri peculiari verba faciamus, scilicet de pulsu venarum jugularium, qui quidem sola in parte earum inferiore animadvertitur, beneque est distinguendus a carotidibus pulsantibus.

Functio nervorum, qui corporis peripheriae adjacent, etiam morbo nostro corrumpitur, quod perspicuum est e doloribus in regione cardiaca obviis, formicationibusque brachium unius alteriusve lateris occupantibus. Quae omnia secundum irradiationis et consensus legem optime explicare nobis videmur. Saepissime hypertrophia cordis auctore hyperaesthesia plexus cardiaci (Angina pectoris) oritur.

Sicuti nervi peripherici, ita et cerebrum perturbatur, quod vel nimia sanguinis arteriosi congestione vel retardato venosi recessu efficitur. Cognoscitur haec laesa cerebri integritas dolore pulsuoso, quem aegrotus in cerebro positum

esse, deorsumque inclinando aut situ horizontali augeri dicit. Accedunt ad haec vertigo, scintillatio, tinnitus aurium signaque apoplectica, quae omnia corde sinistro hypertrophico frequentiora sunt quam dextro.

Praeterea reperiuntur infiltrationes serosae tam in his, quam in illis corporis organis, quarum causa est posita in laeso sanguinis circuitu; unde quoque efficitur, ut organa epigastrica in hypertrophiam incidant; id quod saepissime accidit in hepate. Reliquum est, ut nonnullarum cutis mutationum mentionem faciamus. Cum hypertrophia cordis dextri enim saepius color faciei lividus est conjunctus, quod congestionem venosa perficitur. Si morbus per longum tempus aderat, pallor cachecticus corpus occupat totum.

Quamvis omnia, quae attulimus signa, in quoque homine ex corde hypertrophico laborante, invenire nequeamus, tamen, nisi forte morbi adumbrationem mancam esse voluissemus, haud erant negligenda.

CAUSAE MORBI.

Haud dubium est, hypertrophiam cordis interdum esse congenitam, nam non raro observatur in aetate puerili, in qua omnia desunt, quibus postea faciliter provocatur, uti magni corporis labores, animi perturbationes etc. Sin ostendere volumus, quomodo aetate proveciore morbus ille oriatur, eo nobis recurrendum est, quo physiologia ducimur. Nemo quidem ignorat, musculum quemque, quo maiores subeat exercitationes, eo fieri validiorem; unde sequitur, fibras cordis

musculares in eadem versari lege. Ita fit, ut cor seu incitando, seu impediendo hypertrophia affligi queat. Huc igitur pertinent labores vehementes, uti cursus celerrimus (apud cursores), tubarum cantus; desorganisationes thoracis, e. gr. scoliosis, lumen aortae angustatum, vitia vel insufficientia valvularum. Simili modo etiam rheumatismo depulsisque de cute exanthematibus cor fit hypertrophicum. Morbi etenim illi, postquam in valvulas inciderunt, substantia earum incrasata itaque circuitu impedito, actionem cordis magis intendunt, qua muscoli immodice accumulatur. Neque aliter, nisi per vim a tergo, compressa vena cava inferiore, jecur condensatum vim habet in cor. Efficacissimae in hypertrophia cordis gignenda sunt animi perturbationes, seu excitantes seu deprimentes. Quis est enim, qui neget, quibuscunque animi motibus fieri, ut cor magis agitetur. Quare cerebrum per reflexionem nobis videtur excitare hypercinesin nervi sympathici fibrarum, quae motui praesunt, quam denique sequitur hypertrophia. Magis quoque hoc firmatur ex rebus nocentibus, namque notum est animo perturbato facillime curam institutam reddi vanam irritamque.

Experientia praeterea edocti sumus, nullam aetatem a nostro morbo esse liberam, illos vero homines eo potissimum affligi, qui musculis omnino validioribus gaudeant.

DECURSUS ET EXITUS.

Vulgo cordis hypertrophia per longum tempus durat, interdum vero etiam decursum habet subacutum, quod tum accedit, si morbus acutus ad ipsam accedit.

Etiam si res haud impossibilis est, tamen hypertrophia nondum perfecte est sanata; id quidem fieri potest, ut nimia cordis materies valde comminuetur. Saepius autem homines aegroti illo morbo varium in modum perduntur.

Perscriptum legimus apud auctores quosdam, cor hypertrophicum esse ruptum.

Neque id homo aegrotus non cognoscit, quum dicat, sese sentire, quomodo in pectore fiat ruptura, liquorque effundatur calidus. Postea ex potestate mentis exit, lethali que asphyxia deperditur. Est quidem hic morbi nostri exitus rarissimus.

Similiter atque iisdem signis raro homines hypertrophia cordis afflicti aorta dirupta pereunt.

Nonnullis medicis experientissimis aliud insuper mortis genus venit in conspectum, nempe per aneurysma saciforme. Endocardio enim stratisque muscularibus discissis, lamina pericardii, quae cum corde est concreta, solum integra relinquitur, quo cavum ventriculi dilatatur, sanguisque in hunc sinum praeternaturalem recipitur. Aneurysma quidem illud cognoscere nequis, nisi stethoscopio adhibito, quo similem audies strepitum, ac si liquorem per angustum lagenae collum vi vehemente pervehis. Vita et hic asphyxia finitur. Huncce hypertrophiae cordis exitum sese vidisse narrant, Puerarius, Corvisart, Schoenlein.

Venimus nunc ad apoplexiam cerebri, qua saepius homines, quorum est cor hypertrophia correptum, moriuntur, quamque Williams dicit oriri ex ossificatione arteriarum cerebralium, nimia earum per sanguinem arteriosum nutritione

parata; quae quidem hypothesis nobis illud Caesaris, Rubiconem transitori, alea jacta esto videtur imitari.

Nec vero semper apoplexia est sanguinea, sed, ut Corvisart optime notavit, etiam serosa. Hoc exitu lethali nobis sunt erepti viri praestantissimi, uti Morgagni, Laennec, Dupuytren, Gans.

Mortis per cordis hypertrophiam causis praeterea adnumerandae sunt infiltrationes serosae, quarum memoratu dignissimae sunt: hydrops pericardii, hydro-thorax, oedema pulmonum acutum, nec non hydrops universalis.

Huc accedunt etiam bronchitis et pneumonia maligna, hypertrophia cordis imprimis apud senes provocatae, quae per suffocationem exitum adducunt perniciosum.

PROGNOSIS.

Magnopere cavendum est medico, ne in suscipienda hypertrophiae cordis cura eventum expectet faustum, quum de hoc morbo perfecte sanando omnino sit desperandum. Prognosis ergo semper est dubia.

Si aegrotus in puerili versatur aetate, major praebetur morbi tollendi spes, praesertim quum illa aetas a perturbationibus animi vacet, quippe quibus postea cura pessumdetur vel accuratissima. Melior quoque prognosis in hypertrophia simplici, quam si cor est dilatatum, aut vitiis valvularum vasorumque majorum luminibus angustatis instructum, aut cum pericardio concretum, quibus complicationibus facillime vitae finis adducitur. Prae ceteris autem eo potissimum hypertro-

phia cordis in malam vertitur partem, quod morbus quamvis mitissimus, uti catarrhus seu bronchitis simplex, si accessit, plurimum valet ad aegrotum perdendum.

CURA.

His explicatis, quae ad hypertrophiae cordis mutationes anatomicas, causas, signa, decursum, exitus prognosinque pertinent, magna nunc oritur quaestio, quomodo eius cura aptissime sit instituenda. Jam ex illis, quae de causis morbi attulimus, satis apparet, curam magis versari in regimine moderando, quam in adhibendis medicamentis, quibus tum demum utimur, quando corde aegrotante alia affliguntur organa, vitaeque aegroti periculum impendet. Quam ob rem has sequimur indicationes, quarum prima est indicatio causalis. Ut impediamus, quominus homines cordis hypertrophia opprimantur, res omnes sunt vitandae, quas eius causas esse exposuimus. Praeterea hoc gravissimum est, ut hominem inflammatione aut rheumatismo cordis affectum, quem curandum susceperimus, acuratissime observemus, neque prius eum sanum esse profiteamur, quam vel minimum morbi residuum sit depulsum. Vulgo quidem hanc indicationem exsequi non possumus, quum homines morbis istis cordis inflammatoriis afflicti haud prius medicum consultant, quam structura cordis jam laesa.

Jam supra diximus id cura potissimum esse persequendum, ut aegrotus vitam degat, quae nec animi nec corporis

perturbationibus interpelletur. Hac enim neglecta morbi decursus acceleratur.

Prae ceteris ergo aegrotus aequam servet mentem, quia, ut jam monuimus, perturbato animo, cura quamvis diligentissima, est frustranea.

Aequae etiam coërcendae sunt graves corporis exercitationes; attamen aegrotus non ab omni motu est depellendus, sed ei suadendum, ut leviora adeat negotia. Quapropter Piorry aegrotos in regione plana jubet ambulare.

Magnopere vero timendus est coitus atque ab hoc aegrotus prorsus arcendus: sunt enim apud auctores exempla obvia, quibus probatur, homines, e cordis hypertrophia laborantes, cubantes cum muliere subito aut cordis ruptura, aut cerebri apoplexia esse mortuos.

Huc accedit regimen ita moderatum, ut neque spirituosa, neque aromatica seu vim digestionis justo magis intendentia in coena paranda adhibeantur. Hominibus vero tenuissima corporis firmitate praeditis haud raro nutrimenta modice corroborantia sunt permittenda. Sola hac cura, in qua omnes consentiunt medici, homines, quibus est cor hypertrophicum, multos per annos servantur.

Sequitur indicatio morbi.

Magna temporibus praeteritis erat inter medicos controversia, num in hypertrophia cordis curanda mitteretur sanguis, necne.

Nonnulli, uti Corvisart et Laennec, methodum Albertini et Valsalvae evacuantem, qua viri illi in aneurysmatibus solum sanandis utebantur, etiam in hypertrophia cordis propulsanda adhibuerunt. Verumtamen, hanc curae

rationem aegrotis plus afferre damni quam emolumenti, medici temporum recentiorum illustrissimi demonstrarunt. Nihilominus sanguinis depletio interdum est necessaria, qua in re suscipienda imprimis aegroti firmitatis ratio habenda est. Ita fit, ut hominibus adolescentibus iisque sanguine abundantibus parva venaesectio $\xi jv - \xi vj$ satis magna sit utilitate, quae vero hebdomadibus quatuor aut octo interjectis demum est renovanda. In palpitationum seu dyspnoeae paroxysmis atrocibus sanguis hirudinibus, aut cucurbitis eruentis prope locum affectum est detrahendus.

Digniora quae memorentur sunt medicamenta, quibus collatoria corporis humani naturalia aperiuntur, id quod facillime alvi evacuationibus efficitur. Quam ad rem exsequendam aptissima sunt salia neutra, e. gr. Magnesia sulphurica, Cremor tartari, Natrum sulphuricum etc., quae aut pulverata, aut soluta, aut electuario involuta aegrotis, prout cuique est jucundissimum, dantur sumenda.

His quoque medicamentis adnumerandus est syrupus domesticus. Iis autem utimur eo consilio, ne retardatis secretionibus naturae convenientibus sanguinis circuitus turbetur, morbusque novum capiat incrementum.

Maximis cumulata est laudibus herbae Digitalis purpureae in exstinguenda cordis hypertrophia vis, qua duplex oritur effectus: et sedatio cordis, quod pulsu probatur retardato, et aucta renum secretio, quae magna est utilitate in deplendis infiltrationibus serosis. In adhibenda Digitalis herba his utimur formis: pulvere, infuso, cui vulgo additur sal diureticum, prae ceteris Kali aceticum, et tinctura aetherea. Jam si aegrotus medicamentum illud per os recipere obnititur, per

clyisma secundum Andral, aut methodo endermatica auctore Bouillaud, applicandum est. Quamvis herba Digitalis ita sit celebrata, tamen cetera medicamenta hydragoga, uti Colchicum et Scillam, nullo modo praecellit, quorum tincturae, tinctura Scillae kalina, tinctura et vinum seminum Colchici, usu sunt frequentissimae.

Remediorum ad hypertrophiam cordis tollendam commendatorum omnium efficacissimum est setaceum in regione cardiaca positum. Jam Zacutus Lusitanus laetissimo cum eventu fonticulos in scrobiculo cordis posuit. Similiter Dundas, Burns, Kreysig, setaceum laudant.

Neque nos, duce illustrissimo Rombergio, valetudinem setaceo posito magnopere in melius esse inclinatum apud multos aegrotos non observavimus. Quam ad rem efficiendam, setaceum per longum tempus ab aegroto feratur necesse est. Neque illa vis setacei medicatrix admiranda est, quum leges physiologia illustratas sequatur.

Palpitationum seu dyspnoeae paroxysmi, quibus aegrotos valde esse vexatos jam supra exposuimus, aptissime adhibitis in cutem irritamentis repelluntur, quasi una cum hyperaesthesia excitata, hypercinesis tollatur. Quocirca sinapismus scrobiculo cordis est imponendus, seu frictions cum oleo Sinapis aethereo instituas.

Morgagni balnea cum sinapi parata, quibus manus pedesque immittantur, cucurbitasque siccas in thoracem ac dorsum applicatas commendat. Ad sedationem cordis multa medicamenta sunt proposita, v. c. Stramonium, Hyoseyamus, Conium, Acidum hydrocyanicum etc.; quae vero illud non

aequiparant. Interdum depletio sanguinis localis per hirudines aut cucurbitas cruentas necessaria est.

Magnum complicationes morbi nostri aegrotis afferunt damnum, quare in cura non sunt negligendae. Harum praestantissimae sunt vitia valvularum, quae emendantur et secretionem renum instigata et frictionibus in scrobiculum cordis cum tinctura Jodi, aut unguento kali hydrojodici cum unguento Digitalis institutis.

Hydropem medicamentis hydragogis esse depellendum jam supra exposuimus.

Sin Angina ad hypertrophiam cordis accessit, maximo sunt aegrotis levamento inspirationes vaporum ex aethere acetico paratorum.

Nominanda sunt praeterea Hydrosulphuretum Ammonii et Hydrargyrum muriaticum corrosivum, quibus medici nonnulli in morbo nostro exstinguendo usi, magnam afferri utilitatem non probarunt.

Quum in eo simus, ut commentationem nostram finiamus, non ineptum videtur ea repetere, de quibus jam antea verba fecimus; nullis quidem medicamentis solis morbum nostrum pessumdari, nisi cum ipsis regimen moderatum aptaque vitae ratio sit conjuncta.

Scrpsimus autem hoc opusculum non eo consilio, ut novi aut inauditi quid in medium proferremus, sed ut nos rem omnino attigisse demonstrarem.

Neque dubitamus, quin futurum sit, ut vitia reperiantur
haud parva; attamen est nobis persuasum, neminem inveniri,
qui aut se, aut quae ipse ediderit, omnibus vacare erroribus
profiteatur.

V I T A.

Ego Josephus Henricus Fridericus Glaser, fidei addictus catholicae, natus sum in vico Bergfriede, prope Borussiae orientalis oppidum Altenstein sito, patre Friderico, fundi regii praefecto, matre Amalia e gente Laçynska, quorum illum multos jam ante annos mihi ereptum lugeo, hac vero adhuc valida ex intimo gaudeo animo.

Primis literarum rudimentis in oppido Heilsberg, ubi postea pater collocaverat domicilium, imbutus, annosque quatuordecim natus, discessi in progymnasium Roesseliense, quod tum directore Dost florebat. Ibi tres annos commoratus, testimoniumque secundae classis nactus, gymnasium Braunschburgense, cui tum Gideon Gerlach praeerat, adii. Postquam ibi classem secundam per annum et dimidium frequentaveram, abii in gymnasium Rastenburgense, directore Heinecke ornatum. Hic testimonium maturitatis adeptus anno MDCCCXL

Regiomontium discessi, ubi a prorectore magnifico Ill. Voigt civibus academicis adscriptus, hisce interfui scholis:

Spect. Taute logicen me docuit; Cel. Burdach jun. osteologiam, myologiam et neurologiam, syndesmologiam, artem cadaverum rite secandorum et anatomiam pathologicam; Ill. Rathke zoologiam, splanchnologiam et angiologiam; Ill. Meyer botanicen et generalem et specialem; Ill Burdach senior physiologiam; Exper. Dulk chemiam experimentalem ac organicam; Exp. Moser physicen organorum sensuum; Ill. Rosenkranz historiae philosophiam.

Verno tempore anni MDCCCXLII ad hanc almam literarum universitatem accessi, ubi hos viros praestantissimos audivi disserentes:

Cel. Mitscherlich jun. de materia medica; Cel. Dowe de physica experimentalis; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Ill. Juengken de chirurgia et generali et speciali; Cel. Kluge de akiurgia et arte obstetricia, non solum theoreticis, sed etiam practicis.

Praeterea frequentavi scholas clinicas medicas Cel. Wolff et Ill. Schoenlein; polyclinicum medicum et clinicum propaedeuticum Cel. Romberg; clinica chirurgica et ophthalmiatica Ill. Juengken et Ill. Dieffenbach.

Quibus viris omnibus, illustrissimis optimeque de me
meritis, quam maximas possum, ago gratias, semperque
habebo.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, exa-
mineque rigoroso rite absolutis, spero fore, ut summi in
medicina et chirurgia honores in me conferantur.

T H E S E S .

1. Non omne vivum ex ovo.
 2. Nullum medicamentum specificum.
 3. Religione omnino, prae ceteris religione Christiana augentur psychoses.
 4. Ratio diis hominibusque communis.
-

INDEX

1. Non omne ritum ex ovo.
2. Nullum medicamentum specillam.
3. Religio omnia, prae ceteris religio Christiana est.
4. Genus psychosorum.
5. Ratio dia hominibusque communis.

